

1. Baumgarthen / Sigism. Iac. diff. de prestatia  
 Religiosae revelatae pro naturali,  
 2. Bebelij s. Balthas. / diff. de Cis mortuis,  
 Halle 1743.  
 3. diff. de primogenitura ex  
 mortuis redivivi domini nostri Iesu  
 Christi Graec. 1743.  
 4. Behm s. Joh. / diff. de Luce a lectione  
 Scripturæ Sacre non arrendit Regio  
 nis.  
 5. Clauswitz s. Boed. Göttl. / diff. de Auto  
 graphorum Bibliorum jactura  
 rei Christianæ et innoxia et utili,  
 Halle 1743.

NOVA DISQVISITIO  
**DICTI DIFFICILLIMI**  
ESAIAE LIII. v. 9.

36

Q V A  
**V I R O**

MAGNIFICO SVMME VENERANDO EXCELLEN-  
TISSIMO, AMPLISSIMO DOMINO

**DOMINO**  
**IOHANNI CHRISTIANO**  
**STEMLERO**

S. S. THEOLOGIAE DOCTORI CELEBERRIMO  
SVPERINTENDENTI ET PASTORI TORGAVIENSI  
ADHVC MERITISSIMO, NVNC AVTEM IN SERENISS. DVCIS  
SAXO-WEISENFELSENSIS AVLAM, VT ILLI A CONFESSONIBVS,  
CONCIONIBVS ET CONSILIIS ECCLESIASTICIS SIT,  
CLEMENTISSIME VOCATO

**TANTAM SPARTAM**

OBSERVANTISSIME GRATVLATVR

**CHRIST. GOTTLÖB FRIDERICVS WOLFF**

M. A. ET AD D. PETRI CATECH.

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.  
M DCC XLII.

NOVA DISCRIPTIO  
EXALTE TUL. 6.  
64A

VIRGO  
MAGNICO SUMME AUREOVALDO EXCEPTE  
TISIMO AMPLISSIMO DOMINO  
DOMINO  
JOHANNI CHRISTIANO  
STEMPERO  
THEOLOGICAE DOCTORI CELEBERRIMO  
AC AFRICANIS INGENUITATIS ET LEACTORI TORQUAVIT  
APUD MERTZIUS AVIC IN SPENSIUS DACIS  
SACRO MENSIS SEPTEMBRIE VALLA AT FESTA CONCESSORIUM  
CONCIIONAMEN-TE CONSULIT ILLUD CETERIS SIT  
GLOMANTISSIME VOCATO

TANATI STRATA  
OBSESSA VITAM EGRAT ALTA  
CHRIST GOTLOB TUDORIGAY MOTT  
M. A. D. H. A. T. T. C. G. C. T.

LIPSIÆ  
EX OLLISIONA LAVENIENSIS IMPRIM  
D. 1711.



## VIR MAGNIFICE

D ebitum, quo obstringor Nomini T V O  
publica deditissimi animi mei documenta  
exhibere, eo iamiam tempore, quo longe  
meritissimam Purpuram, omnibus applauditibus, a  
Theologorum Facultate sumebas, obseruare tenebar.  
Vinculum enim, quod in meum honorem T E cum  
auctore huius scripti coniungit, simul vincit me, vt  
T V A E conditionis particeps fiam. Magnus etenim  
T V V S amor, atque beneuola in me indignissimum  
memoria, qua hac in vrbe commorans me excepisti,

A 2

tanti



tanti valoris est, ut publicis celebrem laudibus. Quo et illud accedit, quod affinitatis gloria mihi relieta sit. Quod vinculum non solum apud TE, VIR  
M A G N I F I C E, sed etiam coram vniuerso eruditorum coetu meum conatum purgabit, quod TIBI  
hac simplici meditatione gratuler, meumque sincerum  
gaudium de noua TVA Sparta attestet. Sed idem  
illud impedit, ne merita TVA satis cognita, eximiamque  
TVAM in rebus diuinis cognitionem, quantum  
possem, laudibus extollam. Neque illud efficere  
potuisssem, sed silentio praeterire debuisse, quia  
eloquentia disertissimus hoc munus in se suscipere  
debet. Officio itaque meo satisfieri duco, cum hoc  
impolito scripto gaudium meum debitum de noua  
TVA prouincia ostendens obtester, sinceris votis pro  
perpetua et immobili Nominis atque Splendidissimae  
Familiae TVAE prosperitate ac incolumente impletum  
esse animum. Nec dubito, quin hocce propositum  
meum tanta benignitate, quia semper fruitus sum,  
excipias iudicando: ut desint vires, tamen est laudanda  
voluntas. Summus vero Episcopus et Pastor ani-  
marum nostrarum, qui semetipsum pro nobis tradidit,  
hisque in diebus vitam suam pro ouibus posuit, TE,  
M A G N I F I C E, confirmet Episcopum, qui coe-  
tum eius pascat. Magis magisque exornet TE fa-  
pientiae, cognitionis, fortitudinis Spiritu, ut larga et  
profunda

\* \* \*

profunda benedictione noua hac Sparta fungaris, et magnam victoriam semper deportes. Verba sua reddit quotidie per labia T V A efficacia, ut sermo de cruce Domini nostri Iesu Christi beatus magis magisque peruelgetur, et T V O ministerio in istis regionibus magnum afferat emolumentum. Imo crucifixus quidem, nunc autem honore et gloria coronatus Servator noster imponat T I B I post sera tempora, quando hac in militante ecclesia consumseris cursum, in suo gloriae regno aeternae gloriae coronam. Hic Servator noster Iesus, cuius cognitio summa T V A est sapientia, sit quoque hoc in scripto vnicus et ultimus scopus. Considerans enim his in sacris diebus acerbissimam et meritoriam passionem Iesu Domini mei, quod omnia, quae carissimo Sponso meo a monte oliuarum ad eius sepulturam acciderunt, mea causa atque pro mea salute facta sint, nec non videns, omnes ac singulas meritoriae eius passionis circumstantias a Prophetis antea fuisse annuntiatas; animaduerti, Theologos nostros nullum adhuc sepulturae et custodiae sepulcri Domini nostri vaticinium protulisse. Cum vero locum difficillimum Esiae LIII. com. 9. paulo curatius sancte meditarer, statim in mentem veniebat, annon his in verbis hae duae memoratu dignae passionis Iesu nostri circumstantiae indicarentur et annuntiantur? Quo magis hanc meditationem dijudicabam,



eo magis in eo confirmabar, verba ista de diuite et pio Iosepho, qui Seruatorem nostrum Iesum sepelit, deque impiissimis Sacerdotibus, qui sepulcrum Iesu custodibus muniebant, esse intelligenda. Quo factum est, ut Summi Numinis ductu hancce meditationem literis consignarem, **T V A EQUE, V I R M A G N I F I C E,** non vulgari cognitioni relinquem. Nouam hanc appello disquisitionem, quia neminem adhuc scio, qui Eliae verba hoc sensu accepisset. Si quoque ab eruditis haec sententia iamiam sit proposita; summo tamen iure dicere possum, nouam esse, quia eiusmodi expositionem nondum legi, nec vnquam audiui. Quod si haec disquisitio ab eruditis accipiatur, soli Deo gloria est reddenda, qui ad nullius personam respicit, sed etiam impuberibus intellectum manifestat, sibique ex eorum ore laudem praeparat. Si vero non nemo sit, qui huic expositioni repugnet, **T V I** Nominis auctoritas me tuebitur, qui de **T E** spero, fore ut hanc meditationem, quamuis non solidam, nec politam, tamen piam sincero aequoque iudicio accipias. Amori **T V O** candido, fauori et patrocinio vt in posterum me habeas commendatissimum, rogo. Dabam Lipsiac die VIII. Mart. M DCC XLII.



ש ש ב

**V**erba ipsa, quae diuini Numinis auspicio exponam, in Esiae LIII. com. 9. huius sunt tenoris: וַיֹּאמֶר אֶל־יְהוָה שְׁאֵל בְּנֵי יִשְׂרָאֵל לֹא־חַמֵּס עֲשֵׂה וְלֹא

**מִרְמָה בְּפִיו:** Quae verba ita reddo: *Constituit autem Deus iempios Scribas et Sacerdotes ad sepulcrum eius custodiendum; et diuitem Iosephum in morte eius ad sepeliendum: propterea quod nullam rapinam fecerit, nec ullus dolus fuerit in ore eius.* In germanica lingua erit forsitan sensus clarior. *Gott verordnete aber die gottlosen Hohenpriester und Schriftgelehrten zu seinem Grabe, ihn zu bewachen; und den reichen Joseph bey seinem Todte, ihn zu begraben: weil er niemand unrecht gethan hat, noch Betrug in seinem Munde gewest ist.* Hoc tamen in scripto non ero prolixior in commemo randis huius difficillimi loci expositionibus, quia eruditis iam satis cognitae et vulgares. Vnicum meum propositum est, propriam meditationem Theologorum iudicio subicere, an sanctissimi Flaminis menti conueniat? Nec enim partem aliquam horae consumsi in aliorum monumentis euoluendis, sed totum tempus propriis meditationibus tribui.

Ante omnia autem questio est eruenda, de quoniam vates hoc pronuntier, an de populo, an de Patre coelesti, an vero impersonaliter sit redditum? Hanc questionem non prius decidendam esse iudico, quis nimurum ille נָתַן sit, quam loquendi formulam illam **וַיֹּאמֶר רְשָׁעִים** exposuiimus. Quanta varieras enim significationis est apud interpres, tanta quoque subiecti varietas perspicitur. Ab omnibus quidem concedendum est, verbi נָתַן varias esse nec minus constructiones, quam ideas. Si quis phrasin ipsam vincere attendens locos parallelos urget, ex quibus verum verborum sensum nos doceat; dabo quidem, quod argumentum a posteriori, non vero a priori, ut vocant, exinde sumi posset. Phrasin enim נָתַן את פָּרוּנִי tres habere significatus perspexi. Prima propria et nativa est idea, dare vel tradere alicui aliquid, quae Deut. XIX, 12. 1. Sam. XXIV, 4. 2. Sam. XVI, 8. 1. Reg. XVIII, 9. Isa. XXXVII, 18. Ierem. XII, 10. XXIX, 21. XXXII, 3. 28. XXXIV, 2. XXXVII, 4. 15. XLIV, 30. aliisque in locis legitur.

Secunda



Secunda idea est, *ponere aliquid in aliquid, etwas worauf setzen*, quam ideam imprimis Moses huic verbo imponit historiam commemorans, quomodo tabernaculi vasa ordinauerit, nec non Gen. XLV. v. 2. 2. Reg. XIX, 18. Tandem significat *constituere aliquid ad aliquid, etwas wozu bestimmen und verordnen*. Quo sensu Ios. VI, 24. XX, 8. Esa. XLIX, 6. LV, 4. Ierem. LII, 32. Ezech. XXXIII, 2. Cohel. VIII, 9. sumitur. Qui igitur periculum faciet, inueniet, has tres ideas verbis nostris tribui posse, id quod etiam interpretes fecerunt, qui hancce et illam nobis protulerunt expositionem. Quae quoque, nisi a fidei nostrae norma discedant, toleranda sunt.

Verum tamen sanctissimi Spiritus sensum capi posse, iudico, cum 1) totam oraculi huius summam obseruamus, et quis verus vatis nostri hoc in elegantissimo capite sit scopus, attendimus. Cum 2) antecedentia et consequentia cum nostris verbis exacte coniungimus, ex quibus cognoscimus, de quo hoc in commate sit sermo. Neque 3) vaticinium ipsum negligamus, quod Seruatoris nostri Iesu Christi passionem meritariam praedicit. Hoc est, quia futuri Messiae eiusque passionis oraculum est, singulares circumstantiae rite sunt obseruanda, quae testimonia et characteres sunt, Iesum Nazarenum, quem unicum et verum nostrum Seruatorem atque Expiatorem adoramus, promissum esse illum Messiam. Cum vero nonnulla oracula, quorum hoc praecipuum est, captu difficiliora videantur, quia stilo propheticō proferuntur; ipsam Seruatoris nostri historiam conferamus, ex qua vaticinium clarum et explanatum redditur. Omnes quoque 4) voces exacte sunt diiudicandae, vt semper bene teneamus, quod, vt in omnibus sacris Pandectis, ita praeprimis in vaticiniis de Domino nostro Iesu, singula verba singulari et magno pondere a diuino Flamine posita. Hinc illa summa cura teneamus, eandem constructionem, qua diuinus Spiritus usus est, asseruemus, nisi textus ipse aliam nobis exhibeat expositionem, aut fidei conformitas repugnet. Quae cautela imprimis tunc obseruanda, cum ex constructione ipsa singularis verborum emphasis appareret. Certe enim mihi persuadeo, multa esse sacrarum literarum loca, quae nobis obscura videntur, quia modum sanctissimi Flaminis scribentis negligimus, et sine virgente necessitate hanc et illam figuram in auxilium

\* \* \*

Ium vocamus, ut sensum aliquem extorqueamus. Qui vero, meo iudicio, praesertim in Prophetarum oraculis tenaciter ordinem et constructionem verborum retinet, et pia sinceraque meditatione diiudicat, qua ex causa Spiritus Sanctus hanc vocem hunc in modum, aliam aliter posuerit; sine dubio multa loca nobis adhuc difficiliora seddet clara et explanata. Hae itaque regulae mihi ipsi, in Iesu mei benedictione sint fundamentum et norma, ad quam hanc meditationem diiudicabo.

Supra dixi, huius phraseos sensum ex locis parallelis probari non posse, quia variae vocis נָתַן sunt ideae. Ex toto itaque verborum nexu sensus huius commatis est eruendus. Quod igitur primum scopum capitnis huius attinet, describit sanctissimum Flamen per Prophetam, vel Euangelistam Veteris Foederis, ut summo iure Theologi illum nominant, duplicum nostri Seruatoris statum. Totum enim caput de Iesu mundi redemptore agere, ille negabit, cuius oculi, cum Indeis modernis, obscurati, et vela mine Mosis testi sunt, ne oculis apertis videat, nec auribus audiat. Sed quid mihi cum illis hominibus, cum praeterea satis demonstrata et fulta sit veritas, meaque consideratio ad unicum nonum comma directa. Quo versu Exinanitionis Domini nostri Iesu statutus finitur, quod ex toto nexus satis clare appetet. Comma enim 1. ad 9. usque describit summam Seruatoris nostri exinanitionem, et quidem a captiuitate usque ad sepulturam. Reliqua verba com. 10. ad 12. depingunt statum Domini nostri Exaltationis, et quidem, quod post resurrectionem Rex spiritualis in aeternum sic regnaturus. Videtur quidem in com. 8. iam exaltationis status commemorari, quia dicitur: מְעֵץ וּמִשְׁפָט לְקֹח וְתִרְרוּ מֵי רִשְׁחָה ex coarctatione et ex iudicio sumus est, quis autem aetatem eius elogetur? Si vero versum istum paulo curatus consideramus, perspiciemus, vatem nostrum de infernalibus cruciatis, quos Dominus noster in cruce perpessus est, deque, non diu post, morte Redemptoris nostri vincere et proprie loqui. Sensus itaque vatis hic est: Maximus iste pastor et Seruator mundi infernales cruciatus et horrendum irati atque iustissimi iudicis iudicium perpessus est, ex quibus deinde liberatus, cum animam suam manibus

nibus patris sui commendans exspiraret. Haec tamen mors nostra est similis habenda aliorum mortalium morti, ac si de illo actum esset. Minime gentium! Non manebit in morte, sed in aeternum viuet. Exspirauit enim non ut alii homines, qui proprium naturae debitum soluunt; sed nostrum causa hanc mortem in se suscipiens alienum debitum soluit. Apparet itaque, vatem nostrum omnia ordine proloqui, nostraque verba de sepultura Seruatoris nostri Iesu esse accipienda et intelligenda.

Scopus itaque huius vaticinii nos docet, hoc in versu ultimum exinanitionis Redemptoris nostri gradum describi. Verba vero nunc exponenda sunt, ut videamus, quis verus verborum sit sensus? Cautelae supra adductae, imprimis illa de antecedentibus et consequentibus ad veram viam nos ducent. In quoque commate duo proponuntur, et passio seu gloria Iesu Domini nostri; et causa vel fructus passionis. Periculum faciam, ut res clarior reddatur. In com. 4. describuntur afflictiones, et contumeliae, quibus Seruator noster oneratus fuit; indicatur simul causa seu finis, quod aliena debita in se suscepit, et nostrum causa haec ludibria tulit. Quae contumeliae in com. 5. adhuc proferuntur, addita operatione, ut per istas a morbis anima nostra sanaretur. Qui modus in reliquis etiam obseruatur a propheta, hinc necessario fluit, eundem modum in nostro esse commate, quem verba ipsa docebunt. Reliqua enim verba causam antecedentis indicant, factum esse hoc ideo, עַל לְאַדְחָמָס עֲשֵׂה וְלֹא מִרְמָה בְּפִי quia nullam rapinam fecerat, nec dolus ullus fuerat in ore eius. Verba itaque prioris hemistichii neque de fructu passionis Christi Domini nostri, neque alio modo exponi possunt; sed tantummodo de parte seu gradu ultimo exinanitionis Seruatoris nostri. Subiectum igitur seu נֶגֶד est Pater coelestis, יְהוָה qui ex com. 6, omnium nostrum iniquitatem et peccata in Dominum nostrum Iesum Christum iniecit, et sequenti 10. com. exprimitur. Ex quo cum 8. versu probari posse mihi videatur, Patrem coelestem hic esse subintelligendum. Imo, si expositione mea fundata, ut spero, nec ullus hoc in dubium vocabit. Quia neque populus, neque Pontifices, neque milites, neque Iosephus

ex

\* \* \*

ex Arimathia ad id, quod Matthaeus de istis profert, semetipso  
constituerunt; sed singularis erat Dei prouidentia, qui ab aeterno  
decreuit et constituit impios ad sepulcrum Seruatoris nostri, ut  
illud custodibus seruarent. Subintelligo autem in שׁוֹר  
non milites, sed potius Phariseos ipsos cum Scribis et Seniori-  
bus. Expositio enim illa, quam Theologi nonnulli de militibus  
exhibit, quod impii appellantur, quia nulla fides pietasque vi-  
ris, qui extra sequuntur, videtur mihi longe petita. Si vero de  
Scribis et Pontificibus exponamus, sensus est clarus nec coactus,  
quia isti erant sceleratissimi et impiissimi homines, qui sacrarum  
literarum periti illum reiiciebant, de quo sacrae Pandectae te-  
stantur. Ipsi conuicti erant sua conscientia, Iesum Nazarenum  
esse Dei Filium, et tamen erant tam scelerato animo, ut Serua-  
torem nostrum carissimum interficere conarentur, ipsamque ple-  
bem, in qua tanta cognitio de Christo non erat, incitarent, ut  
Iesus cruci assigeretur. Summa itaque emphasi hoc vocabulum  
a Spiritu diuino adhibitum est. Constituit etiam diuitem illum  
Iosephum ex Arimathia in morte eius, ut corpus Domini nostri  
Iesu Christi sepeliret, quod etiam in aeterno diuino consilio de-  
cretum et constitutum erat.

Supra iamiam exemplis illustravi, phrasin נִתְנַתְנָהּ consi-  
tuendi habere ideam, quod autem nostro in loco eadem sit ratio,  
ex com. 8. primum probabo. Sacerdotes meditabantur Seruato-  
rem nostrum Iesum crudelissime interficere, illumque in morte  
et post mortem summis ignominii afficere. Quem malignum  
animum vocabulum נִתְנַתְנָהּ perfecte exprimit, qui conabantur,  
ut summa vi radicitus arborum instar Iesum extirparent. Quam  
malitiam etiam in morte Domini nostri Iesu magis exercuerint,  
qui malo animo sepulcrum Seruatoris nostri custodibus occupa-  
bant, nisi Deus impediisset. Sed Deus ipse constituebat hos im-  
piissimos homines ad sepulcrum eius. A Deo ipso iam antea  
decretum erat, ut ipsimet isti sceleratissimi homines sepulcrum  
custodirent ad testimonium in illos. Sibi quidem proponebant  
mala efficere, Deus autem sapientissimum et iustissimum Numen  
ad bonum finem dirigebat, ut obduratio et malitia eorum eo



magis manifestaretur. Eadem causa in aeterno diuino decreto constitutum erat, ut diues ille et pius Senator Iosephus ex Ari-mathia corpus sanctissimum Iesu Domini nostri curaret, illudque in morte sepeliret, quo inimicorum furor impediretur, et sepultura hac decretum diuinum ab illis impleretur. Bene quoque, si verba nostra hoc sensu accipientur, com. 10. cohaeret: nam Ioua, qui constituit impios ad sepulcrum Messiae, et diuitem in morte eius, volebat conterere illum morbo isto. Non enim fortuito fiebat, vt Iesu Seruator tantis plagis, ignominiis, et cruciatibus afficeretur. Non erat in potestate Pharisaeorum et Scribarum cum Christo Domino agere, quando, quomodo et quamdiu vellent; sed omnia iam in aeterno decreto Dei Trimuni constituta erant, nam Ioua ipse conterere volebat Iesum Dominum nostrum hoc morbo. Videtur mihi verborum connexio et expositio tam clara et natuia, vt nihil reiici posse, credam. Certe mihi etiam persuadeo, quod, si 8. et 10. cum 9. verbu exacte considerantur, nulla alia textus nostri expositio reddi queat, quam ista, quae tamen omnia eruditorum iudicio libenter subiicio. Ita enim conexio est naturalis, verborum sensus sine vlla detorsione retinetur, videmus etiam, omnes circumstantias de passione et morte Seruatoris nostri clare et exacte in Veteris Foederis monumentis suisse annunciatas.

Plurimum interpretis scriptorum propheticorum interest, sicut in capitibus, quae de Iesu Christo agunt, ante omnia singulares circumstantias, quae de Seruatore nostro praedictae sunt, rite considerare. Nullum enim de passione et morte Domini nostri erit vaticinium, in quo non vna vel plures huius passionis circumstantiae proferentur, quarum revelatio in aliis Prophetarum literis vel nulla est, vel non satis clara. Id quod ideo factum est, ut perfectissima circumstantiarum praedictarum impletio fidem nostram corroboret: Iesum esse Christum Dei Filium, et vt per hanc fidem vitam habeamus in eius nomine. Honorem quoque et gratias Deo meo refero, quod fidem nostram tam benigne et largiter corroborat, dum nec minimam passionis Domini mei Iesu circumstantiam omiserit, quam per Prophetas antea non annun-tiasset.

tiasset. Non quidem negandum est, fidem nostram de Iesu Christo confirmam adhuc esse, nec ab ylo aduersario, neque a Diabolo ipso spiritu mendacissimo destrui posse, quamvis circumstantia illa de sepultura Christi, quod a diuite facta, et Servator noster in sepulcro suo a Phariseis sit custoditus, a Prophetis non fuisse annunciat. Satis nobis esset, quod ex nostro aliisque sacri codicis capitibus inuictis vaticiniis demonstrari potest, Messiam post mortem esse sepieliendum. Quia tamen omnes Theologi larga manu mihi dabunt, omnes ac minimas circumstantias, quae ab Euangelistis a conceptione Redemptoris nostri usque ad ascensum commemorantur, Prophetas praedixisse. (Minimas autem dico nonnullas, non respectu valoris, quia nulla circumstantia parui aestimanda; sed humano more loquendi, e. c. nullum os Iesu confractum fuisse, vestimenta eius diuisa fuisse.) Quia itaque inquam, haec omnia praedicta sunt, num persuadere quis sibi potest, hanc memoratu dignam circumstantiam a Mattheo consignatam Sanctissimum Flamen in vaticiniis non annuntiass? Accedit et hoc, quod vates Esaias multis verbis passionem et mortem Domini nostri Iesu Christi praedicat, nonnulla etiam, e. g. Iesum nostrum maleficis adnumeratum fuisse, pro hostibus orasse, praedicat. Quia etiam hic sensus, quem verbis nostris tribuo, non coactus, sed ex ipsis verbis fluit; nulla mihi obuenit ratio, cur alium verbis imponamus significatum. Confirmor hac in sententia, cum obseruo, vnicum Matthaeum historiam istam de Sacerdotibus literis consignasse, cum tamen reliqui tres Euangelistae Iosephi factum commemoarent. Statuo enim, bono consilio a diuino Flamine hoc esse factum, quo sine dubio nos docere vult, ut hanc circumstantiam bene consideremus. Sanctissimum Flamen, meo iudicio, in Iohanne hoc indicat, qui unus ossium confractorum, et lateris Iesu, salutis fontis, aperti mentionem faciens haec memoratu digna verba apposuit cap. XIX, 35. 36. 37.

καὶ οἱ εὐραῖοι μεμάρτυρες, καὶ αἱ ληδινὴ αὐτὲς εἶναι η μαρτυρία πάκεπος οἰδεῖ, ὅτι αἱ ληδη λεγεῖ, παῖς ωμος πέσεσθε. Εγενέτο γαρ ταῦτα, παῖς η γραφῇ πληρωθῆ, οἷον 8 συντομησησηται αὐτές. Καὶ πάλιν ετερα γραφῇ λεγεῖ αἴσθοται εἰς



*ον εγενετησαν.* Cum itaque Spiritus Sanctus hanc circumstantiam per vicum Matthaeum commemorantem singulari nota commendet; non dubito, quin etiam per prophetam nostris in verbis illam annuntiari voluerit.

Respiciamus tandem verba ipsa, eorumque numerum, videatur mihi argumentum exinde petitum esse firmissimum, meaque expositio sanctissimi Flaminis menti conformis. Diuinus enim Spiritus non sine causa posuit רִשְׁעֵי in plurali et רִשְׁעָה in singulari. Numerus hic est quidem emphaticus, hoc est, singularis quid indicat, non autem figuratus. Cur enim quaeso nullum verba ista tali ordine, casu, numero, quo Spiritus Sanctus posuit, retinere, cum nulla adsit ratio illum negligendi? Singulari certe nota hunc locum designauit Spiritus veritatis, quod impios in plurali, et diuitem in singulari numero constituerit, ut bene consideremus, qui illi sint, et quid de illis proferatur. Quanta vis, quantaque emphasis in voce רִשְׁעָה, si de Sacerdotibus exponamus, perspicitur? Impii illi, qui clauem diuinae scientiae habebant, sibimetipsis tamen illam occludebant. Impii, qui viam Dei non ignorabant, tamen illam abiiciebant. Impii, qui satis conuicti erant, Iesum Nazarenum esse Filium Dei, meditabantur, illum occidere. Impi illi, quorum mens impia erat, cum sepulcrum Seruatoris nostri custodibus munirent, et ita apud sepulcrum malitiam et obdurationem manifestabant, dirigebantur a Patre coelesti secundum suam sapientissimam prouidentiam, ut nominis sui gloria, et Seruatoris nostri redemptio manifestaretur. Deinde nec obiter constituit sanctissimum Flamen vocem קָרְבָּן sine praefixo, et בְּמֹתַתְךָ cum praefixo, quia duplex erat respectus. Illos constituebat coelestis Pater non in sepulcrum Iesu nostri Seruatoris. Quae loquendi formula sensum obscurum redderet, nec Spiritus Sanctus posuit קָרְבָּן sed nute קָרְבָּר, quo sine dubio nos edocet, alium hic esse sensum, quam in sequenti. Non male itaque particula לְ vel לִ קָרְבָּר intelligi potest, ut sensus sit, constituit impios illos Scribas ad sepulcrum Domini nostri, ut illud militibus custodirent. Diuitem autem constituit בְּמֹתַתְךָ in morte Seruatoris nostri Iesu, ut sanctissi-

sanctissimum eius corpus sepeliret. Satis clarum nobis erit, summa causa, summoque pondere has voces tali modo fuisse constitutas. Nec dubito, quin haec meditatio verbis perfecte respondeat. *אָנָּה מִצְרַיִם בְּנֵי עֲבָדָלֶךָ בְּנֵי עֲבָדָלֶךָ*  
 Vnum vel alterum quidem quis mihi obiciet, obscuram esse hanc expositionem, siquidem ad *רְשָׁבָרוֹן שָׁוֹם* vox *לְשָׁבָרוֹן בְּמִתְרוֹן* vox *לְקָבָרוֹן* esset addenda, hanc tamen insolitam locutionem ellipticam non esse admittendam. Videtur quidem hoc dubium fundatum, qui tamen non ignorat, hanc esse enunciationem propheticam, qua breuibus et ponderosis verbis variationum proponit, illi sensus non erit obscurus. Quodsi quoque aliquis ex verbis non potuisset cognoscere, in quem finem coelestis Pater impios illos ad sepulcrum, et diuitem in morte Seruatoris constituisse; certe tamen Propheta suo tempore sensum expouerit. Et quia vaticinium, non poterat non breuibus verbis proponi, ut complementum ipsum sensum clariorem redderet. Satis tunc temporis erat, ut ex verbis nostris cognoscerent, impios ad sepulcrum, et diuitem in morte Messiae constitutum iri. Quem in finem autem sint constituti, impletio nos doceat, qui ex Mattheo discimus, illos sepulcrum custodibus occupasse, hunc autem pium diuitem in morte Seruatorem nostrum sepeliisse. Hanc sententiam stilo propheticō conformem esse, nonnullis exemplis huius praestantissimi V. F. euangelii docebo. Nullus certe Theologorum nostrorum erit, qui neget, verba com. 8. de infernalibus cruciatibus Domini nostri esse exponenda. Si vero nondum impleta essent, nonne sensus verborum, omnis solatii plenorum, nobis esset obscurus? Vates annunciat com. 12, Dominum nostrum et Seruatorem Iesum maleficiis adnumeratum iri. Nisi impletio horum verborum adesseret, sine dubio ita exposuissimus: maleficus habitus fuit, ut maleficus mortis damnatus est. Quae quidem expositio his in amoenis verbis includitur, verum tamen sensum perfecte non exprimit. Repicit enim vates non solum ad blasphemiam illam accusationem coram Pilato: nisi hic esset *κακοποιός*, illum tibi non tradidissemus; sed imprimis ad actum Dominum nostrum Iesum crucifigendi, quo in medio

M500



*λέγων* cruci affigebatur, ut claris verbis Marcus XV, 27. 28. nos edocet. Deinde obici posset, secundum meam expositionem verba inuera esse, quorum ordo hic eset: constituit autem diuitem in morte eius, et impios ad sepulcrum eius. Id quod quidem figura, quae προθυσεγον audit, defendi potest, quam tamen hoc in loco non accipo, sed potius iudico, Prophetam ob ordinem et sensum non aliter loqui potuisse. Grauissimis enim verbis depingit com. 8. sanguinolentum Pharisaeorum animum, qui non prius satiebatur, quam Seruatorem nostrum interfecissent. Atamen haec omnia efficere non potuissent, nisi iam ab aeterno Deus decreuisset, ut Iesus omnium nostrum peccata in se susciperet, qui quoque omnia ad bonum et salutarem euentum direxit. Horum impiissimorum propositum erat quidem etiam post mortem Seruatoris malignum; sed Deus constituebat illos ad sepulcrum eius. Quomodo vero ad illud efficiendum ordinari poterant, ut sepulcrum custodirent? Vates in sequentibus verbis illud indicat, constituit diuitem in morte eius, qui sanctissimum corpus Iesu Domini nostri sepeliret; et quidem haec omnia ideo siebant, et constituta erant, quia Iesus Dominus noster nullam rapinam fecerat, nec ullus dolus in ore Seruatoris nostri fuerat.


ΤΟ ΠΝΕΥΜΑ ΜΗ ΣΒΕΝΝΥΤΕ ΠΡΟΦΗΤΕΙΑΣ  
ΜΗ ΕΞΟΤΟΘΕΝΕΙΤΕ ΠΑΝΤΑ ΔΟΚΙΜΑΖΕΤΕ

ΤΟ ΚΑΔΟΝ ΚΑΤΕΧΕΤΕ.



ad 2.





00 A 6426




Datum: 2008 56.

L 1004

Q 2'

D  
S  
T



NOVA DISQVISITIO  
DICTI DIFFICILLIMI

ESAIAE LIII. v. 9.

36

Q V A

V I R O

MAGNIFICO SVMME VENERANDO EXCELLEN-  
TISSIMO, AMPLISSIMO DOMINO

D O M I N O

IOHANNI CHRISTIANO  
S T E M L E R O

S. S. THEOLOGIAE DOCTORI CELEBERRIMO  
SVPERINTENDENTI ET PASTORI TORGAVIensi  
ADHVC MERITISSIMO, NVNC AVTEM IN SERENISS. DVCIS  
SAXO-WEISENFELSENSIS AVLAM, VT ILLI A CONFESSIOBVIS,  
CONCIONIBVS ET CONSILIIS ECCLESIASTICIS SIT,  
CLEMENTISSIME VOCATO

T A N T A M S P A R T A M

O B S E R V A N T I S S I M E G R A T V L A T V R

C H R I S T . G O T T L O B F R I D E R I C V S W O L F F

M. A. ET AD D. PETRI CATECH.

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

M DCC XLII.